

MAUTHNER, LUDWIG WILHELM

De peripneumonia notha Sydenhami

Grund
Viennae
1831

EOD – Millionen Bücher nur einen Mausklick entfernt! In mehr als 10 europäischen Ländern!



Danke, dass Sie EOD gewählt haben!

Europäische Bibliotheken besitzen viele Millionen Bücher aus der Zeit des 15. – 20. Jahrhunderts. Alle diese Bücher werden nun auf Wunsch als eBook zugänglich – nur einen Mausklick entfernt. In den Katalogen der EOD-Bibliotheken warten diese Bücher auf Ihre Bestellung - 24 Stunden täglich, 7 Tage die Woche. Das bestellte Buch wird für Sie digitalisiert und als eBook zur Verfügung gestellt.

Machen Sie Gebrauch von Ihrem eBook!

- Genießen Sie das Layout des originalen Buches!
- Benutzen Sie Ihr PDF-Standardprogramm zum Lesen, Blättern oder Vergrößern. Sie benötigen keine weitere Software.
- *Suchen & Finden:* Mit der Standardsuchfunktion Ihres PDF-Programms können Sie nach einzelnen Wörtern oder Teilen von Wörtern suchen.*
- *Kopieren & Einfügen* von Text und Bildern in andere Anwendungen (z.B. Textverarbeitungsprogramme)*

* Nicht in allen eBooks möglich.

Allgemeine Geschäftsbedingungen

Mit der Nutzung des EOD-Services akzeptieren Sie die allgemeinen Geschäftsbedingungen. Die Benutzung erfolgt ausschließlich für private nicht kommerzielle Zwecke. Für alle anderen Zwecke kontaktieren Sie bitte die Bibliothek.

- Allgemeine Geschäftsbedingungen in Englisch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/en/agb.html>
- Allgemeine Geschäftsbedingungen in Deutsch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/de/agb.html>

Weitere eBooks

Schon über 30 Bibliotheken in mehr als 12 europäischen Ländern bieten diesen Service an.

Finden Sie weitere Bücher zur Digitalisierung: <http://search.books2ebooks.eu>

Mehr Information: <http://books2ebooks.eu>

Institut für Geschichte der Medizin
Wien

D 3.286a



DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
DE
PERIPNEUMONIA NOTHA
SYDENHAMI.

AUCTORE

Ludovico Mauthner,

Hungaro Jaurinensi.









Spezialbibliothek

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
DE
PERIPNEUMONIA NOTHA
SYDENHAMI.

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
CLARISSIMORUM
AC CELEBERRIMORUM D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA RITE OBTINENDA
IN CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Ludovicus Mauthner,
Hungarus Jaurinensis,

MEDICO-CHIRURGUS CASTRENSIS.

VIENNAE.
TYPIS LEOPOLDI GRUND.



D 3286 a

Handwritten signature

Nec inutiliter eorum locari operam arbitror, qui illorum, quae
prisca aetas tulit, notiones examinant et dilatant.

Stoll ratio medendi praeß.

Crebrius occurrit in praxi haec peripneumoniae species, quae
etiam peritioribus grave facessit negotium.

Lieutaud synops. medica.

JB





MAGNIFICO CELEBERRIMO
A C
DOCTISSIMO
DOMINO DOMINO
IGNAT. RUD. BISCHOFF,
CAESAREO-REGIAE APOSTOLICAE
MAJESTATIS CONSILIARIO,

EQUITI COMMENDATORI ORDINIS CELSITUDINIS REGIAE PRINCIPIS
SERENISSIMI ELECTORALIS AB HESSEN -RASSEL DE LEONE AUREO
PRIMAE CLASSIS; PRAXEOS MEDICAE, PATHOLOGIAE ET THERA-
PIAE SPECIALIS IN ACADEM. CAES. REG. MED. CHIRURG. JOSEPHI-
NA PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO; MEDICO STATUS MILITARIS
SUPREMI ORDINIS; PERENNIS DELEGATIONIS REI MEDICAE CAS-
TRENSIS ASSESSORI; INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE VINDOBO-
NENSIS, PRAGENSIS ET PESTHINENSIS, SOCIETATIS PHYS. LIPSIE-
NSIS MEMBRO ORDINARIO; SOCIETATIS MED. CHIRURG. BEROLINEN-
SIS, REI NAT. ET MED. DRESDANAE CORRESPONDENTI MEMBRO
ETC. ETC.



Theses.

I.

Infer acida et bases salifiabiles differentia sensu strictissimo non datur.

II.

Juvenis medicus potius addiscat cognita certa, quam scrutetur in nova hypothetica.

III.

Non eadem omnibus etiam in similibus casibus opitulantur.

IV.

Crises sunt vel salutares vel non salutares seu erroneae, priores per organa colatoria, raro per organa non colatoria absolvuntur, dum in erroneis recte contrarium obtinet.

V.

Meteorismus semper est symptoma grave, et quo ocius detegitur, eo melius.

VI.

Peripneumoniae genuinae per diarrhoeam raro fauste solvuntur, solae gastricae diarrhoeas amant.

VII.

Dantur morbi acuti, ubi venaesectionem differre licet, rarissime vero auferri poterit indicata venaesectione sine noxa.

VIII.

Intermittentes quae sine cortice tacuerunt, rarius recidivant.

IX.

Inflammatiō pons est, per quem morbi specifici universales, locales ponunt desorganisationes.

X.

Non datur discrasia carcinomatosa protopathica sui generis.

XI.

Oculus inflammatus naturam phlegmones autoptice fere docet.

XII.

Capite foetus licet praevio et bene locato, sunt tamen casus, in quibus ad versionem confugiendum.

XIII.

Qui ad naturalia morborum phoenomena oculos animumque rite adverterit, in eliciendis curativis indicationibus maxime pollere debet.

Vir magnifice!

Fautor et Patrone optime!

Dum palaestram litterariam, ubi prima hausi cognitionis medicae praecepta, egredior, nova mihi et optima datur occasio, ulterius me excolendi.

Unicum id, cujus Tu primus et praecipuus mihi auctor es, sufficeret, ut in aeternum devinctissimus sim Tibi Patrone!

Quum vero seriem Tuorum in me meritorum grata mente perlustro, et in Te Moderatorem doctissimum, Mentorem providissimum, imo fere patrem alterum me habere recordor: profecto nescio, qua unquam ratione tantis satisfacere valebo benefactis.

Et inconsolabilis essem, nisi spes laeta affulgeret, quod viribus meis juvenilibus, et voluntate firma virili aliquando eo perveniam, quo unusquis-

que Tuo consilio et auxilio adjutus,
pervenire debet; ut patriae nimirum
aptus et fidelis evadat vitae custos.

Hoc vero, ut mihi contingat, quam-
diu spiritus haecce membra permeat,
avidissime adnitar, et si quando mea
in litteris conamina fructum hunc op-
tatum tulerint, palam profitebor, me
Tuum fuisse

Discipulum et Alumnum

gratissimum

Auctor.

Programma.

Qui organismum inter et res externas commercium sustinent nullo vitae momento suspendendum, pulmones, multis et diversis, et frequentibus obnoxii sunt passionibus, grave artis medicinalis thema sistentibus, eo magis, cum natura sola raro aut fere numquam sine consecratario damno superari valeant.

Ideo acutam horum organorum passionem natura tam manifestis stipavit symptomatibus, ut non facile alter aegrotus citius animum ad misericordiam moveat ac pneumonicus.

Certe, qui prima videt vice similem aegrotum, impressionem indelebilem de hoc morbo acquirit, et si ea, quae medicus hic cito et tute praestat, juste pendet, maxima hujus artis circa genus humanum merita dignoscere non poterit.

Cur in pulmone vitae irritabilis unico fere fonte tam saepe occurat morbus, ab impetuoso irritabilitatis excessu derivandus; pathologia generalis abunde dilucidat. Diversas hujus morbi formas, therapia specialis sollicitè distinguit, de quibus illam tractandam selegi, quae nomine venerato Thomae Sydenhami ornata est, propterea, quod vir iste primus eam accurate descripserit, et naturae suae peculiari congrue tractaverit.

Historica morbi Sydenhamici cognitio.

Certum est, morbum huncce antiquis jam cognitum fuisse. Singularem vero ejus naturam non perspectam esse ab hisce descriptiones testantur succinctae et incompletae, quas in operibus Hippocratis, Celsi, Galeni, Coelii Aureliani aliorumve deprehendimus. Vix aliquam hujus morbi faciunt mentionem autores saeculi decimi quarti - quinti-sexti, et pro parte septimi. Solus Bonetus in taediosa sua, licet utili, compilatione Anatomiae practicae quosdam enarrat casus, ubi aegroti orthopnoici repentina morte peribant, et in quorum cadavere membrana tenax, vestimentum pulmonum internum obducens, reperta fuit.

Sydenhamus inflammationem pulmonum observavit, quae hyeme ingruente, at saepius sub ejusdem exitum, vereque adhuc nascente, quotannis multos necavit seniculos, quae paulo habitiores ac crassos prae caeteris aggreditur, liquoribus spirituosus (vini maxime spiritui) aequo plus addictos.

Depingit morbum tam claris lineis, ut nomine ejus insigniri omnino justum fuerit, utque mirari debeamus, si medici galli verba legimus *) sequentia: «Morbos plane diversos sub uno et eodem titulo adumbrarunt Sydenhamus et Boerhaave, nihilque forte praeter hypotheses tradiderunt.»

Friedericus Hoffmann [inflammatio-

*) Lientaud Synopsis medica.

nem membranae mucosae pulmonum sub nomine catarrhi suffocativi descripsisse videtur, quem strictissime ab asthmate distingui vult.

Morgagni dum de causis et sedibus morborum agit de quibusdam malitiosis affectibus pulmonum conqueritur, in quibus periculum adeo latet, ut inter spem felicioris exitus, illuc quandoque abeant aegri, unde negant redire quemquam. Dubitat quidem, an morbus ille cum malo Sydenhamico coincidat, sed sua quae adfert symptomata, utcumque evincunt identitatem hujus passionis cum notha Sydenhami.

Lieutaud hoc thema peculiari tractans capite, peripneumoniam istam qua morbum sui generis considerat, qui peripneumoniae legitima typum saepe aemulatur, qui vero per se nihil aliud, ac merus et recens vasorum pulmonarium infarctus a phlogosi plane alienus, sed a stagnante latice, ut inquiunt, pituitoso ortus est.

Quamnam sequutus sit in curatione viam, facile est conjicere. Sanguinis evacuationes timet, vomitoria, vesicatoria praecipue suadet, mortem inexpectatam supervenisse saepius observavit.

Van Swieten magni Boerhaavii commentator, multa sed non nova, hoc de morbo loquutus est. Repetit eum a pituita tenaci, sanguini immixta, vasaeque pulmonum infarciende. Fallit saepe imperitum apparente lenitate, cui paterne inculcat, ne phlebotomiam, praesente orthopnoea, pectorisque anxietate, negligat, eam tamen non tam frequenter ac in genuina, repetere audeat.

Cullen thema hoc fuse tractans, morbum initio pro affectione catarrhali declarat, quae hominibus aetatis florem pratergressis et congestionibus humorum ad pectus laborantibus, praecipue solennis est. Mali sedem non ad solam membranam mucosam restringit, sed ad ipsum pulmonis parenchyma protendit.

Clarissimus noster Stoll hunc pulmonum affectum curatu difficillimum nuncupat, cum missio sanguinis, eousque celebrata, ut in hoc morbo requiritur, admodum sibi nocuerit, attenuantia autem adeo hic famigerata, dum impetum in vasa pulmonalia augent, densitatem, impactumque obstruentis saepe, simulque morbum cito reddunt lethalem.

Recentionibus temporibus Dr. Badham monographiam de inflammatione membranae mucosae pulmonum edidit, in qua peripneumonia notha sub nomine bronchitidis asthenicae offenditur.

Morbi effigie rite facta, mortem saepius sibi accidisse narrat suffocativam, et frequenter observavit exitum in phthisin spuriam, cum vera facile confundendam.

An non in malo hoc morbi titulo fons infausti eventus quaerendus sit? vix dubitabit, qui therapiam auctoris exinde propululantem legerit. Sanguinis enim depletiones negligit; cathartica et dietam strenuam sibi sufficere ait. Non spernit tamen vomitoria, incidentia et tonica.

Veram et fructiferam morbi ideam dedit Dr. Cheyne qui eum oriri dicit ex catarrho simplici,

aut ex peripneumonia epidemice grassante, si in membrana mucosa pulmonum, inque tota aegri constitutione diathesis vigeat pituitosa, et si in hoc infirmo organo et organismo, processus succendatur inflammatorius.

Celeberrimus Richter sedem hujus mali praecipuam in systemate assignat bronchiali, idque catarrho affine censet.

Parum veritati accessit Dr. Bangs, qui in materia arthritica et rheumatica, pulmonibus oblata, causam hujus mali quaesivit. Parum tandem medicinae evasis lucri, ex theoria contrastimuli, cujus agendi rationem nemo castorum Asclepiadeorum imitabitur.

Omnibus super hoc thema monographiis praecellit ea, quam medicus Anglus Hastings conscripsit et cujus etiam in hoc libello frequens situs.

Morbi definitio.

Sub pneumonia notha Sydenhami intelligimus inflammationem membranae mucosae pulmonum, quae statui illorum pituitoso praecedenti, supervenit.

Est vero morbus pituitosus malum chronicum in humoribus organismi, nominatim in sanguine primarie radicans, qui lymphae spissae copia scattet. Talis per vasa circulans, lentum humorum motum, vasorum infarctum, organorum muci secretioni praecipue inservientium obrutionem et relaxationem non producere non potest.

Primordia hujus status, jam in ipso organismo, jam in certis aëris coelique vicissitudinibus,

jam denique in singulari latent victus ratione, quapropter etiam saepius epidemicorum more grassatur, morbos produciens, cum caractere laxitatis stipatos.

Observatur sub hoc statu pituitoso in cunctis folliculis, uberior mucii secretio, quae vero in canalem alimentarem, primum discrasiarum fontem, prae reliquis congeritur. Hinc non solum ventriculi et intestinorum, tenuium praeprimis, faciem internam obvestit magna vis mucii viscidii, spissi, tenacis, aegre abstergerendi, sed ipsi etiam folliculi sensim mucositate hac stagnante obstruuntur. Tali ratione mucus stagnans sentinam parat, vermibus fovendis, nutriendis, augendis aptissimam, et polyblenniam gignit abdominalem, multorum, aevi nostro adeo cognitorum, malorum focum.

Licet vero morbus pituitosus ex sua natura abdominalis sit, pro more tamen morborum abdominalium pulmones facile in consensum trahit; pulmones enim prae reliquis visceribus, laxo parenchymate morbosam congestionem foveant, sic in bronchiis mucus colligitur, ab oppressis organi viribus difficulter elidendus.

Hunc pulmonum nisum a stagnante pituita semet liberandi continua manifestat scretio et tussis, qua ministra humores pituitosi in pulmones ruunt, qui dein causa accedente phlogosim producente, processum illum complicatum pneumoniae nothae referunt.

Morbi cognitio.

Diagnosin hujus morbi faciunt:

1. Febris initio ut plurimum typi remittentis et mitior ac in genuina, quam Sydenhamus brevi sic delineat: „Primo febris insultu nunc incalescit aeger, nunc friget, et intercepta sub decursu circulatione, sanguineque quasi praefocato, nulla fere praesertim in habitioribus febris indicia sunt.“

2. Dolor non in certa pectoris parte assignatur, sed dolet thorax omnis sensu obscuro et gravativo, pulmones coarctante, quae pulmonum coarctatio adstantium auribus etiam percipitur, quoties aeger tussit.

3. Respiratio difficilis citata, anhelando sub motu quolibet corporis spiritum crebro ac celeriter ducit. Anhelitus iste initio non semper adest, sed sensim infarciuntur cellulae aëreae, materia pituitosa largius secreta, cujus sub respirationis munere oscillationes, analogum cum fluido bulliente sonum producant.

Accedit quandoque asthma symptomaticum, per diem saepius recurrens, ad vesperam et noctu potissimum molestans, ubi respirationem strepentem, sibilosam, instar asthmaticorum, erecto corpore ac sedendo peractam, nocte observare licet. Quodlibet inspirium tussim illico et vehementer excitat, doloremque adauget frontis. Dispnoeam hanc aeger nulla situs mutatione sub morbi initio lenire valet, serius situs pectore elevato multum concupiscitur.

4. Tussis, cum introitu morbi jam compars, valde torquet et quandoque adeo impetuos, ut apnoicus fiat, et vehementer pectus constringi ejulet miser; humida ut plurimum; non desunt casus, ubi primo tempore, status inflammatorius in hisce viis obtinens, tussim reddit siccam, atque frustraneam. — Ea frequentius ac in legitima pneumonia, vomitu salubri juncta comparet.

5. Sputa albicantia tenacia et spumosa, mox cruore profunde-rubro fusciscente et nigrescente tincta (sputa coenosa) erumpunt, quin tussim mitigent, primum sub morbi decremento sputa evadunt critica, copiosa, viscida, tussim pacantia.

6. Singulare hic symptoma, tussisque fidelis comes est cephalaea ista lancinans, quoties tussis importunius fatigat, et si moneatur ut tussim provocet, haud aliter dolet caput, ac si in partes mox dissiliret (qua loquendi formula aegri ut plurimum utuntur).

Hunc syncipitis dolorem, non ex vera inflammatione, membranam sinus frontales obvestientem, tenente, sed potius ex sympathica ejus affectione derivandum esse exinde probamus, quod alia, praeter dolorem, phlegmones phaenomena prorsus desint; quod numquam male terminaverit hic dolor, et quod alia-ex parte sinuum horum obvestimentum nexum sympathicum per continuitatem partium, cum bronchiis foveat.

Indubie ad cephalaeam hanc contribuit etiam infarctus vasorum pulmonalium, ex qua sanguinis in thorace transmutatio manca, et circulatio

ejusmodi humoris per vasa encephali, suis cum consecrariis, necessario emergit, de cujus in totum organismum influxu mox plura dicemus.

Characteres hi sex aequi pensi, morbum dignoscere vix unquam sinunt, ad probandum vero iudicium multum conferet:

a) Contemplatio subjecti, morbo adfecti.

Frequens enim est affectus hicce viris senibus, pituitosis frigidis, catarrhosis, gravedine laborantibus; pueris vero foeminisque rarior.

b) Respectus temporis et loci.

Tempus etenim humidum autumnale et vernale, frequens quaelibet et subitanea tempestatis mutatio, quae catarrhalibus et pneumonicis affectionibus generatim favet, ita et loca humida paludosa morbo Sydenhamico praecipue amica sunt.

c) Conferunt tandem symptomata alia, ut minus constantia ad firmandam diagnosin.

Huc facies tumidula genis rubentibus, huc capitis vertigo et sopor, huc linguae siccitas, totius oris cavi muco viscido incrustatio, sitisque quandoque tantalea, jure numerantur. Pulsus initio frequentia non valde peccans, serius fit plenus, saepe durus, saepius vero suppressus et parvus.

Thermogenesis non adeo auctam quaerit, licet in facie rubeat, et vesperi incalescat aeger; cutis passim sicca, ni sudore madeat critico.

Urina quandoque plane naturalis, consuetim turbida et rubens intense sine hypostasi; sanguis detractus pleuriticorum sanguinem refert.

Frequens innotescit peculiaris quaedam debi-

litas cum artuum frigore, unguum et labiorum livore.

Eam pathologia explicat e singulari quae in passione hac obtinet, circuli vitio. Haec enim in bronchiis aggregata materia ductilis, commercium vitale et immediatum inter aërem spiratum et sanguinem intercipiat oportet; quoniam illi sanguinis parti, quae per vasa capillaria ad superficiem bronchiorum decarbonisationis gratia devehitur, pituita haec, conflictum externum vetat.

Quo major hujus mucii copia, eo imperfectior haematis, et eo gravior in reliquam machinam reflexus, ita ut hoc impedimento persistente aut crescente, oppositio dinamica sanguinem inter arteriosum et venosum, interque systema irritabile et sensiferum, necessario tolli debeat. Ultimum igitur hujus mali fatum est apoplexia et paralysis.

Morbi decursus et finis.

Durat incerto temporis spatio, difficile quandoque erit initialem determinare diem, ut enim ait Stoll: „Primo fallaci lenitate opprimit nec opinnantes, quippe levi fatigatione, debilitate, prostrato omni fere animi motu, anhelitu, oppressione pectoris incipiens adeo leves motus excitat, ut vix caloris febrisve indicia moneant periculi, mox vagae horripilationes, leviusculi febris insultus adsunt, unde subito crescente anhelitu et debilitate mors, cujus in urina et pulsu vix ullum adfuit praesagium.

Generatim in notha Sydenhami crises salubres paulo serius exspectandae sunt ac in genui-

na, cum febris minor sit vehementia, naturaeque ad crises producendas vis ut plurimum in senibus, quibus hic morbus passim impendet, tardior observatur.

Ante diem ergo decimum tertium et decimum quintum nulla demus salutis recuperandae praesagia.

Exit morbus: 1. In sanitatem sub lenta symptomatum pneumonicorum remissione, circa sextum aut septimum morbi diem. Dispnoici insultus mitiores et rariores fiunt, tussis per largam materiae tremulae, in fila ductilis ejectionem facilitatur, sed donec penitus sileat longo semper opus est temporis spatio, hinc tarde procedit reconvalescentia, viriumque amissarum recuperatio.

In hoc reconvalescentiae stadio singularis membranae mucosae receptivitatis medicum et aegrotum bene memorem esse oportet, facile enim pertinax et chronicus supervenit catarrhus.

Morbo nihilominus prorsus jam superato, proclivitas in eundem morbum recidivandi insidiosae continuo gliscit, quam caussae occasionales, tempestate favente agentes, facillime quolibet iterum anno incendunt.

2. Quae seniculis passim mortifera est blennorrhoea chronica pulmonum et phthisis pituitosa libenter e morbo Sydenhamico consecinarie evolvitur.

Prout enim peripneumoniam veram, subinde vera quoque phthisis excipit et suppuratoria: ita

notham peripneumoniam excipit phthisis pituitosa seu aequae notha.

Malum hoc tristissimum classice tractavit Wichelhausen, et aphoristice descripsit sincerus noster Stoll, sequentibus utens verbis: „Febre ut plurimum carent, tussis assidua, vesperi major, cum repleti thoracis, et nonnunquam quasi exulcerati sensu, sibilus, strepitus inter tussendum, item etiam subinde inter respirandum. Vesperi noctuque orthopnoea, saepius aut semper ferme asthmatica respiratio. Sputa copiosissima flava, flavo-viridia, vetusti butyri instar, aspectu pus referentia, sed pure multum consistentiora et tenacia ductiliaque instar pastae ductilioris. Emaciantur, ut sceleta sint mera, cute rugosa, crassa, pendula, furfuracea, imperspirabili, elephantina.“

3. Mors nonnunquam improvisa ex paralysi aut apoplexia pulmonum ingruit. Eam praenunciat sopor lethargicus, foedus faciei et unguium livor, rauco, anxietates summae et artuum refrigeratio, sed saepius interitus imminens praesagia silent, latetque periculum adeo, ut inter spem felicioris exitus subito exstinguantur aegroti.

Aetio logia.

Momentorum caussalium quorundam tanta ad morbum cognoscendum est gravitas, ut ibidem, dum de diagnosi ageremus, praeteriri non valuerint.

Dispositionem fovet ad peripneumoniam hanc sexus virilis, aetas provector, habitus pastosus laxus, temperamentum phlegmaticum, usus et

abusus spirituosorum, tempus tandem vernale et autumnale, ubi non raro epidemice grassari visa fuit.

P r o g n o s i s.

Statum in quo organa tantae dignitatis detinentur pathologicum attenta mente lustrantes, non haerebimus passionem hanc ad patentissimas Orci januas recensere, et practici omnis aevi in eo consentiunt, quod saepe et facile lethalis sit hujus pneumoniae exitus.

Cur vero frequentius mors contingat seniculis notha adfectis, potissimum in sequentibus fundatur.

a) Haec inflammatio, quae pulmones tenet laxos, non est simplex et pura, sed specifica, in qua praeter momentum inflammatorium adhuc aliud quid, status quippe pituitosus coëxistit, cujus ultimae radices, in imis vitae functionibus quaerendae, suos hinc effectus super totum hoemathoseos munus extendunt; et in pulmonibus, utpote centrum vitae irritabilis, multis foventur circumstantiis, ita ut quomagis processus morbosus per phlebotomiam (quae unice primos et impetuosos morbi impetus infringere par est) adgreditur, eo magis et fortius humores pituitosi in pulmones ruant, eosque obruant, quin, ob deficientes vires musculares tussi ejici queant.

b) Promanat exinde difficultas summa in tractando hoc morbo, cum inflammatorium momentum, supremum poscens respectum, phlebotomiam urgenter indicat, quae alia ex parte individuo laxo et pituitoso et provectioni non libenter subministratur.

c) Confluunt tandem hic plures circumstantiae, medici summam exagitantes providentiam et sagacitatem. Huc complicationes diversas, quas notha persaepe amat, cum malo hepatis, ventriculi aut intestinorum, cum rheumatismo artuum, cum affectionibus capitis et alia; huc malignam temporis constitutionem, qua morbus hicce passim epidemice, passim sporadice, saevire solet; huc tandem individualitatis peculiaris, cui notha praepriis impendet, ratio, solertissime animadvertenda, merito recensetur. Nihilominus therapiae sagaciter et circumspecte factae ut plurimum feliciter cessisse, saepius mihi videre occasio erat.

T h e r a p i a.

Est malum curatu difficillimum monet Stoll, atque in eo adsentiunt omnes practici.

Generatim in curanda hac passione sequens scopus prae oculis versetur medenti:

1. Ut quae membranae muccosae pulmonum incendit phlogosim caussa tollatur.

2. Ut febris, et exinde dependentis pneumonici mali, decisio in bonum adducatur.

3. Ut peculiaris quaedam interitum per se advehentia symptomata, quo ocius compescantur et

4. Cavendum tandem, ne praegressa membranae mucosae relaxatio, finita pneumonia, in posthuma abeat mala.

Eorum, quibus experientia genuina et casta hucum ad debellandum hocce malum cum fructu

utebatur mediorum, singularem exhibentes contemplationem, sequentia offendimus:

a) Venae sectio. Divini hujusce remedii in pneumonia notha, summe diversum erat fatum.

Cordatissimus Batavus difficultatem hujus remedii exhibendi valde sincere exponit, ajens: „In curanda hac febre, id mihi negotii dari sentio, ut sanguinem istum, qui ad pulmonum et suffocationem et incendium facit, phlebotomia revelam. — Cum vero hinc materiae pituitosae saburra, in venis contenta, pulmonum inflammationi fomentum quotidie subministrans, venaesectionem saepe repetitam videretur indicare; illinc vero observatio, quam facere potui diligentissima, me doceret, phlebotomiam saepe repetitam, febricitantium iis, qui crassiore essent corporis habitu (praesertim aetatis florem praetergressis), pessime cessisse, atque adeo ab ejusmodi repetitione haud minus absterreret, catharsin ego crebriorem venaesectioni succenturiabam.“

Lieutaud in synopsi sua monet curationem festinare, suadet cucurbitas et vesicatoria, venaesectionem non valde protexisse videtur.

Stoll multum hortatur, ut hic modus teneatur cum sanguinis missione, ob debiliora enim viscera, facile admodum nocere poterit, et initio licet juvasse videatur, mox mala auget. Venaesectionem tunc tantum celebrare permittit in notha, si constitutio plethorica, febris valida, et inflammatio legitimae offert vehementiam.

Hastings venaesectionem quidem non sper-

nit, sed perparum de circumstantiis eam poscentibus infert.

Clarissimus noster, naturaeque morborum fidus observator Professor Bischoff super hoc thema sequentia verba aphoristica profert:

»Die mit tragem Schleime überfüllten Lungen, das mehr schleichende Fieber, die ungünstige Anlage des Kranken scheinen einen Gegenanzeige für die Aderlässe zu bilden, und doch ist sie bei heftigerem Grade, um Erstickung abzuwenden, unerlässlich. — Sie werde daher mit Vorsicht und in geringer Menge angestellt.«

Casus interim plures, memoratu dignissimos in Clinico observare mihi lieuit, ubi post primam, plures eaeque energicae Venaesectiones a Domino Professore Bischoff faustissimo cum effectu celebratae, inde metus suffocationis ablata, et sanitas pristina restituta fuit.

Sunt tamen recentiorum quidam venaesectioni prorsus contrarii, omnem pneumoniae speciem tartari stibiati dosibus majoribus, confidere non horrentes.

Cum vero circa phlogosin infringendam primus versetur therapiae rationalis scopus, et cum nunquam sub remedii hujus (in notha revera non negligendo) usu, phlogosin sanguinis imminutam fuisse observassemus; certum et tutum et exquisitum in peripneumonia auxilium vix unquam esse poterit.

Valet hucdum pro venaesectione instituenda lex illa: ut, donec respirationis iste stertor, adstantibus auditu terribilis, et aegri impotentia

spiritum sine magna aerumna ducendi, praesens est, pulmoni interitus immineat per phlogosim in ipso grassantem solaque venaesectione debellandam. Infida indicatio est, quam in hac pulmonum inflammatione ex pulsu venamur. Pulsus enim artierarum ut plurimum humiles, obscuri, contracti, in latere aut unice aut magis affecto, ferme semper observantur.

b) Alia et quidem topica sanguinis depletio, hic jam per hirudines, jam per cucurbitulas cruentas facienda, approbationem universaliter nacta est; numquam tamen ea sufficit, ubi universalis indicatur sanguinis missio.

c) Remedia interna, inter quae passim consueta apparatus antiphlogistici arma, passim vero quaedam, specifica gaudentia pharmaca-vi, recensenda veniunt. Ad haec quodammodo refertur tartarus emeticus. —

Prorsus inconsuetam hucdum, pneumoniis medendi methodum Latium generavit et Helvetia multis encomiis probavit. Fundatur ea dosibus majoribus tartari stibiati indiscriminatim et unice pulmoni inflammato oppositis.

Juvabit in hoc themate paulo fusius esse, cum certe ut magnus asserit Frank in quovis Systemate nectaris lateat humor, qui in medici rationalis usus converti mereatur.

Licet Italici medici, duce Rasorio, longiori tempore jam usum, ni dicam abusum, tartari stibiati dosibus horrendis, in diversis inflammatoriis morbis fecissent; tamen omnium primus medicus

Genevensis C. P e c h i e r methodum suam pneumonicas affectiones omnis generis hoc remedio sanandi publici fecit juris anno 1822, recomendat eam, qua experientia multifaria, multis in casibus probatam, in quibus semper (ut certum sit resultatum), alia remedia pro parte seposita erant, salutemque aegris suis cito et jucunde revindicavit.

Innititur C. P e s c h i e r experientia omnino vera, quod tartarus emeticus dosibus majoribus vim emeticam perdat, quod e contra remedium evadat in primas vias fortiter agens, circulum sanguinis in abdomine sollicitando, sicque plethoram thoracis dispergens. Necessario etiam haec, quae per ejus usum digestionis muneri infertur labes, in chylicationem atque haematosin mox taliter redundare debet, ut omnis exuberans vitae manifestatio brevi compescatur.

Statuit ergo sequentem therapiae canonem:

Quicumque dolor punctorius, plus vel minus vehemens, fixus vel vagus, cum vel sine febris, recens vel inveteratus, solus vel comitatus symptomatibus: dyspnoea, sputis coenosis, insomnia, deliriis, livore faciei, linguae defoedatione, obstipatione aut diarrhoea, vertigine, dedolatione etc. cedit, sex, duodecim aut quindecim granis tartari emetici in colatura unciarum sex solutis, intraque nyctemerum absumtis.

Ut plurimum prima hujus mixturae cochlearia vomitus excipit, dein alvus aperitur, mox pneumonicus sublevatum se indicat, quin ulla solennis turba sequeretur.

Haec pluribus exemplis probata lex, medicorum attentionem et quorundam etiam enthusiasum mox lucrata est. Tentarunt hanc methodum bono cum effectu et promulgarunt quasdam morbi historias in ephemeridibus Hufelandii Dr. Wiedeman, Lucas, Arnauld, Fritze, Neide, Siebergundi etc.

Nihilominus ratio et experientia casta, usum hujus remedii, tali forma et in tanta extensione, vix unquam concedent. Ipse enim Rasorius venæsectionem non negligendam suadet, quam unice pseudometamorphosis praevertendis parem esse putat, taciturne ergo confitetur, quod sua methodus, huic gravi therapiae scopo non sufficiat, et si insuper perpendimus, quod tantae remedii heroici doses, semper quid horribile medico et pharmacopoeo habeant; quod incertus sit eventus, et nondum abunde probata virtus hujus methodi, qualis nostra antiquitate sacrata antiphlogosis est, dubio non haeremus asserere: quod methodus haecce nostram vetustam viam therapeuticam, hisce in morbis tutissimam, certe nunquam depellere valebit.

Vidimus quidem in clinico nostro medico, tartari emetici in pneumoniis usum, sed castum, et providum. Solebatur exhiberi in pneumoniis gastrico-saburalibus, biliosis et pituitosis, (fracto praeviae inflammationis flore per phlebotomiam) ad granum dimidium pro dosi speciali sexies, per diem repetenda, aut in pulvere aut in decocto mucilaginoso simplici.

In illa pleuritidis forma, quae modica febris et nota stipatur gastrica, solus ut plurimum sufficit tartarus emeticus, sine ulla sanguinis depletione.

Est enim certum, quod antimonio, relatio quaedam specifica ad systema vasorum capillarium inhaereat, cujus functionem suppressam restituendo, toti secretionis muneri saluberrime prospicit. Non secundum pharmacologia possidet corpus, quod tam directe et fortiter hunc in finibus vasorum infarctum solvat, quod plagas exhalantes in- et externas citius humectet ac stibium.

Hoc vero cum praestat, pyrexiae focus aggreditur, ex hoc enim infarctu vasorum capillarium febris prosilit inflammatoria, una cum suis diversis organorum affectionibus — Tali igitur modo tartarus stibiatus stases inflammatorias depellit, et salubre criseos cutaneae opus citissime restituit.

Potest quoque salutiferum evadere antimonium, si in certis pneumonicis adfectibus, scopo emetiendi porrigitur, et quidem aut sine praemissa phlebotomia; dum febris mitis, et copiosorum sputorum strepitus suffocationis metum incutit. Frequentius sub decursu pneumoniae nothae, indicatio pro vomitorio accidet, ubi vomendi molimina laboriosa, inania, aut cum modicae pituitae rejectione; ubi vomitus adest ingestorum; ubi gravior in epigastrio inter tussendum dolor, verbo ubi nota insimul gastrico-saburralis aut biliosa emesis postulat.

Superest ut remediorum adhuc quorundam

mentionem faciamus, quae dignum in therapia hujus morbi locum obtinent.

Quod mercurius dulcis, ab aevo laudibus non immeritis, hicce decantatus fuerit, nemini mirum videbitur, scienti, quod in omnibus vegetativis inflammationibus cum peccante secretionis officio, et nisu in pseudometamorphoses, calomel locum obtineat; si fracta phlogosi, thoracis {aerumnae perstant, et coctio sputorum non rite contingit.

Bene jungitur floribus sulfuris. — Sulfur enim blandissimo stimulo secretionem in membrana mucosa pulmonum sollicitat, mucum tenacem li-
quidiorem et ad expectorationem idoneum reddit, insimul crisin cutaneam eminenter suffulcit.

Incidentium aliorum, excepto adhuc sale amoniaco, cautus sub tota morbi curatione fiat usus; sitque nonnisi gradativus, a mitioribus ad fortiora perveniendo. Hinc a sale amoniaco (singulari membranae mucosae amico) extracto liquiritiae, oxymele, serius ad sulfur auratum, polygalam Senegam, quam merito calomel vegetabile compellant practici; dein ad flores arnicae, stipites dulc-amarae et postremo ad spiritum amonii anisatum, floresque benzoës ascendere licet.

Pulchre tandem laxo imbecillique pulmoni lichen Islandicus medetur, quem Stoll hisce praeprimis aegris recommendat, quibus udum corpus est, et pulmo serosa colluvie frequenter inundatur; his catarrhosam hanc diathesin, plastica simulque tonica lichenis virtus corrigit.

lisdem ac lichen constitutionibus decoctum



polygalae amarae prodest, cui apte non raro jungitur.

Haud denique posthaberi debent in therapia nothae remedia externa: vesicatoria, cataplasmata, et synapismi.

Hisce, sanationem hujus morbi paucis lineis adumbrantibus, consueta regiminis antiphlogistici praecepta sedulo auxilio esse debent. Aeger carnibus et earum juscule, spirituosus quibuscunque abstineat, quorum loco ptisana ex hordeo et liquiritia concedenda est.

Verbis et motibus quibuscunque corporis parcat; esuriat, purget, transspiret.

Adnectimus nunc duas historias pneumonicorum a me observatorum; convictus enim omnis est medicus, difficillimum esse, earum rerum descriptionem accuratam tradere, quae nonnisi per observationes clinicas, industrie factas, clare innotescunt, quasve usus solus optime docet.

Historiae morborum in instituto Clinico S. C. Academiae Josephinae tractatorum.

I.

Peripneumonia notha, supervenies febri inflammatorio-biliosae cum infarctu hepatis.

Miles Austriacus, 25 annorum, parentibus sanis natus, obesus paululum et phlegmaticus, ad hunc

usque annum sanus semper fuit, quo prima vice hepate laborare coepit.

Incepit cum sensu in hypochondrio dextro obtuso, ponderis et tensionis, initio periodico, serius constante, quocum tamen militavit.

Sed die penultima Aprili 1820, cum ex cursu nimio praeter morem incaluisset, frigidam avide hausit; inde rigor dein calor, cephalaea et sudor per noctem totam. Accessit praecordiorum sensilitas, hypochondriorum sub inspirio profundo dolor acutus, ita crucians, ut sine mora xenodochium et clinicum peteret.

Capite dolet, aurium sussurus, facies et conjunctiva bulbi flavedine suffusa, non appetit sed multum sitit.

Oris amaror, lingua muco bilioso tecta, ructus et vomitus materiae viscidae flavae.

Pulmones liberi; hypochondriorum dolor pungens, profundum vetat inspirium.

Epigastrium sensile tumidulum; hepatis plaga, arcte limitata, tangi nequit.

Cutis valde calet, sicca. Pulsus arteriarum ita humiles, ut vix inveniantur.

Hisce symptomatibus rite perpensis elucet, 1. quod febris adsit; intrarunt enim rigores cum aestu alterantes, sudor sitis aucta, aberrationesque in pulsu.

2. Quod pyrexia typum habeat continuo-remittentem, non eodem enim semper viget tenore.

3. Quod character adsit mixtus ex inflammatorio et bilioso; hoc aetas juvenilis morbis prae-

gressis nedum exhausta, hoc organi affectio inflammatoria ex natura sua insimul biliosis favens adfectibus; hoc tandem reliqua evincunt status praesentis momenta.

Morbus igitur est febris inflammatorio-biliosa cum infarctu hepatis; qui omnino discrimine non caret, propterea; quod organon hepatis longiori tempore in statu irritationis chronicae detentum, facile nunc majoribus pseudometamorphoribus graviter offendi et destrui posset.

Hoc vero, ut praeventatur pro virili adniti oportet; ideo hepatis phlogosin extinguere, bilisque, in primis viis congestae, moram longiorem praepedire, necessum est.

Posterius emesis naturalis ex parte jam fecit, prius fiet ordinando: 1. Hirudines Nro. duodecim ad hypochondrium dextrum, cum largo et longo sanguinis stillicidio pothumo. 2. Cataplasmata emollientia et

3. Rp. Rad. tarax. consc. Unc. unam
f. decoct. colat. express. Unc. sex
adde
Oxymel. simpl. Unc. semis.

Jam vesperi hepar minus dolet, pulsus evolvitur. Die altera melius omnino fieri videbatur aegroto, sed nox ad quintam morbi diem scenam totam mutavit.

Reperimus enim mane capitis vertiginem, pectoris dolorem pungentem, per tussim, et inspirium profundius, frequenter adauctum; videmus in cistula, spuendo serviente, plura mucitenacis, sanguinolenti frustra; in matulla, lotium

flammeum; tangimus cutem siccam calentem, pulsum duriusculum; ideoque damus:

Decoct. alth. ex Unc. dimid. parat. Unc. sex.
c. Nitri Scrupl. uno et oxymelis, Unc. semis.

Vesperi diarrhoea ingruit critica. Cum vero hoc colatorium imum, raro solennibus inserviat crisibus, colatoria dignitatis altioris arte sollicitanda veniunt. Hinc convenit methodus alvi nimiam laxam moderans, cutisque transpirationem movens:

Ordinatio: Decoct. Salep ex scrupl. uno ad Unc. sex
cum sal. ammon. Gr. XV. et potus tepidus.

Noctu cruciat tussis, mane spiritum permolesce trahit, multum tussitat et multum ejicit muci ductilis coenosi; pulsus est frequens, plenus duriusculus.

Vena secta est ad Uncias sex, sanguisque obtentus mox crustam formavit inflammatoriam praeterea datur interne:

Ptisana ex Salep c. muc. gg. arab. et syrup. simpl.
Thoraci applicatur cataplasma.

Die tota parum levaminis sentit, vesperi fortiter incalescit, nocte nihil fere dormit. Ter alvum deponit liquidam.

Morbi octava dies periculi plena erat.

De capitis intollerabili praecipue inter tussendum dolore, de siti magna, de pectoris opresione et dolore vago punctorio, de summo virium languore, aegrotus conqueritur. Dum nos vultum tristem, linguam siccam, dispnoeam, spiritum anhelantem, sputa coenosa, lotium parcum turbidum, faeces fluidas, pulsum tandem citatum

suppressum duriusculum, observamus; et exinde judicamus, quod morbus antea principalis, diarrhoea imperfecte solutus, nunc per crisin erroneam in organo nimis nobili terminare velit, et quod hujus in pulmones migratio per metaschematismum, hic, favente constitutione, et anni tempore, pneumoniae nothae produxerit formam, quae lethalem nancisci exitum cito minatur, cum vicina digestionis et chylicationis organa insimul de phlogosi participare non recusabunt, nisi malum in cuniis juguletur.

Propterea phlebotomiam ad Uncias octo intrepide celebravimus; synapismum magnum pectori apposuimus; et interne salem ammoniacum, qua antidiarrhoicum et diapnoicum mite, ptisanæ hesternae admiscuimus.

Pneumonicus die tota in eodem pertinaci erat statu; vespertina exacerbatio vehemens; nox insomnis erat; et cum mane miserculum nimis difficulter spiritum trahere videremus, cum strepitum sputorum specificum audiremus, cumque aeger nihil fere tussiendo proferret ob deficientes musculares vires, tartarum emeticum ad sputa solvenda et evacuanda, sequenti modo praescripsimus:

Rp. Tart. emet. Gr. tria

Sach. alb. Dr. unam

mp. divid, in Dos. aequ. Nro. sex.

Sign. Mle 2 Stund 1 Pulver.

Praeterea inf. flor. arnicae ex Dr. jß ad colat.
Unc. sex mixturae pristinae addere rati sumus.
Cataplasmatibus super thorace aliisque continuatis.

Haec optime conduxerunt. Remittebant enim conspicue spiritus aerumnae, cessavit cephalaea molestissima, disparuit in lingua mucus et comparuit crisis, per sputa cutim et urinam, oplata.

Cum ergo sub hoc tractamine coctio sputorum, et eliminatio materiae morbificae per cutim optime procederet, in eo per quatrimum perstitimus, in quo tempore aeger quatuordecim grana tartari stibiati optimo cum effectu absumsit.

Reliquo tractationis tempore nihil peculiaris contigit; tractabatur cum lenibus incidentibus, solventibus et postremo stomachicis, nominatim taraxaco, sale amoniaco, oxymele squillitico, Tinct. cort. aurantiorum et amara etc.

Prorsus sanatus Clinicum reliquit 27. morbi die.

II.

Peripneumonia notha pura.

Miles fodinator, (Sappeur) 32 annorum, phlegmaticus, hucdum sanus, ante sex dies ex labore strenuo in campis valdopere sudans, pluvia permadefit et repentine toto corpore refrigeratur.

Hinc vesperi dedolatio, ciborum taedium, horripilatio, frigores cum aestu alterantes, tandem cephalaea somnum arcens.

Mane sublevatur, sed voce rauca loquitur, tusitat, sibilose respirat; vesperi iterum incalescit, pectorisque majores persentit molestias.

Hoc per quatrimum recurrente ad nos devenit 6. sexta morbi die:

Caput temulentum, vultus anxius, oculus splendens sed vigore carens, genae circumscripte



rubent, lingua et totum oris cavum muco est incrustata, non sapit, paululum sitit.

Vox rauca, respiratio cum sono stertente peragitur, ac si pulta coqueretur; tussi, non adeo frequente, mucum viscidum coloris ex rubro-crocei incassum exscreare nititur. Sensus in pectore obtusus molestus, thoracis sub respiratione evolutionem non impediens.

Venter sanus est; cutis calida laxa; alvus regularis; urina nulla; pulsus normali frequentior fortis plenus et magnus, praevalente tamen, in arteriae motu, contractione.

Morbus dignoscendus non erat; praesagia dabantur dubia et incerta; remedia exhibebantur caute et provide sequentia:

Decoct. althae. c. nitro; potus ex hordeo et liquir. Cataplasmata.

Nocte cephalaea frontalis, aestus continui, sitis, dispnoea, tussisque inanis, cruciarunt aegrum, qui anxie et inquiete somnum frustra quaerit. Post mediam noctem epistaxi levi et sudore paululum sublevatur.

Mane cephalaea, anxietas summa, oculus nitens, facies rubra, lingua muco lurido tecta, sitis major; respiratio stertorosa, anxia, brevis, dolor in pectore obscurus sub inspirio profundo et tussi augendus; tussis frequentior, sputorum difficilis excretio, urina rubra, cruda; pulsus tandem perquam frequens (104 ictuum) aequalis, fortis, plenus, et durus.

Judicamus ex hisce, quod morbus vehemen-

tia increseat et legitimae pneumoniae quaedam mutuaverit symptomata.

Naturae tamen benigna per epistaxin et sudorem noctis, molimina non dignoscentes, faustam adhuc speramus morbi solutionem.

Hoc ut contingere queat, febris vehementia et sanguinis in pulmones impetus arte sufflaminandi veniunt.

Ea de caussa sanguinis uncias novem extrahendas praecepimus; Nitri dosin ad Drachmam unam auximus, cataplasmata continuavimus, linctum demulcentem porreximus.

Sanguis e brachio pleno rivo et in arcu prosiliens, jam post decem sexagesimas subsedit, et crusta inflammatoria formari animadvertebatur. Levamen ex vena secta luculentum fuit, nam post horam oppressio pectoris sensim cessit, respiratio et pulsus, sanguine abundante liberiores, visebantur. Vesperis modice incaluit, nocte quidquam dormivit, et minus tussitavit.

Sequente die - octava morbi - meliorem se sentit, de capitis temulentia solum sub elevatione quaeritur, faciem tumidulam turgida vasa non amplius rubent. Sapor argillaceus, lingua nedum emendata, sitis, appetitus deletus.

Respiratio sibilosa strepens; tussis sat frequens, materiam viscidam hinc inde cruore tinctam, cum levamine ejicit, inspirium profundius multa ex parte conceditur.

Abdomen pastosum, alvus una pultacea pau-

ca, urina rubra saturata cutis ad transpirationem prona, pulsus normali frequentior fortis plenus, non durus.

Morbus ergo adhuc in stadio versatur cruditatis, crises expectandae sunt, ex parte nostra semovenda sunt, quae benignae morbi solutioni obstant.

Idcirco tartarum stibiatum exhibere rati sumus, qui sputorum excretionem et sudoris proruptionem blandissime suffulcit.

Additum fuit Granum unum tart. stibiat. mixturae hesternae, in caeteris perseveravimus.

Hoc modo salutifera decisio comparuit nocte ad nonam morbi diem, in qua aeger sudore madidus, tussi humida frequentissime afflictus, nihil fere dormiit; sed mane faciem hilarem, laetamque, caput et pectus fere liberum obtulit. Tussis, licet frequens, parum molestavit et magis a mucro excernendo, quam a fartura vasorum inflammatoria, provocatur; id quod sputa magnis frustis ejecta probant. Sunt vero sputa tenacia, colore ex cinereo flavescentia, eliminatio eorum magno cum levamine contingit.

Caeterum lingua adhuc mucro albo velatur, sed apetere incipit. Cutis modice sudat; alvus difficilis; lotium cum sedimento sat largo lateritio; pulsus frequens, sat fortis, plenus, et molliusculus.

Elucet ergo crisis stadium adesse, quibus cum naturae vires perficiendis sufficiant, certe speramus fore, ut aeger salutem recuperet pristinam.

Quum vero admodum difficile sit distinguere, quantum natura, quantumque remedia ad opus contribuant crisiū, hinc, ne benevolentis naturae conamina, intempestive turbet ars, cavendum est. Quapropter nihil novi ordinatum fuit, sed iisdem institimus remediis.

Tali modo salvus percurrit aeger criticos dies, undecimum quippe, decimum tertium, et decimum quintum, in quibus diebus matulam semper in-crustatam; cutim in sudore et cistulam spuendo servientem materia tenaci, cocta, impletam vidimus.

Eadem igitur ratione, qua vires cum appetitu ciborum redirent, nos ab usu medicaminum recessimus.

Proprium tamen respectum in stadio hoc decrementi, mereri rati sumus, colatoriorum omnium vigorem, hinc alvum a quatrduo difficilem movere oportebat, quod optime nobis Calomel, scopo purgante, 14. morbi die, exhibitum, praestitit.

Mira fuit sputorum copia, quorum quantitas libram excedit. Haec cum frequentius sine tussi, hinc non ex thorace provenire viderentur, quumque qualitate magis serosa et tenuia circa decimum sextum morbi diem invenirentur, salivationem ex usu Calomelis minitari credimus, eo igitur seposito, exhibetur:

Decoct. alth. et polygalae amarae
cum Granis decem salis amoniac. et oxymelis uunc. semis.

Transivimus deinceps ad Decoct. lichenis Islandici, quo mucosae membranae tonum restituere adnxi sumus, hocce per hebdomadam continuato, aeger consanatus Clinicum reliquit 21. morbi die.







UB Med Uni Wien



+AM273347006





VIENNAE.
TYPIS LEOPOLDI GRUND.

MDCCCXXI.



www.books2ebooks.eu